



1.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.





DE  
1776, 35.  
148  
CRIMINE OMISSIONIS

ILLVSTRIS  
IVRISCONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
IOHANNE GODOFREDO  
FVNCKLERO  
IVR. VTR. DOCT. SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS  
ET CONSISTORII ADVOCATO

D. XIII. IVN. MDCCCLXXVI

DISPVTABIT  
CAROLVS GVILIELMVS WINCKLER  
L I P S

LIPSAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIA

DE  
CRIMINE OMISSIONIS

IN  
IURISCONSULTORUM OMNIS AUCTORITATE

IOHANNES GODOFREDUS  
FVNGKLEINER

CAROLVS GUILLIELMVS WINKLER


LEIPZIG  
EX OFFICINA BERTHOLDI







DE  
CRIMINE OMISSIONIS



Non sine ratione AVGVSTINVS A LEYSER *Meditat. ad π. Specim. DCXV. n. l.* nonnunquam fieri iudicat, vt committatur crimen facti eiusmodi, quod, qui committit, licitum credat, nec paucos reperiri, qui vel ignorantes imprudentesque in legem impingant. Cuius rei veritas saepenumero tum etiam cernitur, vbi poena alicui propterea irroganda est, quod aliquid faciendum omisit. Quanto enim frequentius inter homines fieri videmus, vt sua quisque facta legibus contraria, nisi eiusmodi sint, quae atrocissimum crimen efficiant, excusare, numeroque delictorum profus eximere conentur; tanto minus plerisque persuaderi potest, eo, quod hoc vel illud omittant, criminis se reos fieri, rei nullius, nisi quae facti externo constet, rationem ab se reddi debere, arbitantes. De crimine igitur, quod omitendo perpetratur, hoc libello, qui ex more academico conscribendus erat, ita exponere proposui, vt primo in



vniuersum de criminibus, quaeque ad eorum perpetrationem a Ictis requiruntur, quatenus instituto nostro accommodatum videbitur, differam; deinde vero, quomodo possit omitendo delinqui, praemissis ex iure naturae nonnullis de vi atque effectu omissionis, ex iure ciuili disquiram, in tractandis autem his quaestionibus praecipue legum Saxoniae Electoralis huc spectantium rationem habeam.

## §. I.

*Crimen quid? et quomodo perpetretur?*

Ne itaque ipse omissionis reus postuler, aut neglexisse videar, sine quibus argumentum propositum satis intelligi nequeat, necessarium existimo, antea de crimine in vniuersum, deque iis, quae ad perpetrationem eius pertinent, nonnulla praefari. Doctores quidem plerique fere omnes in eo conueniunt, quod *crimen* definiunt *actionem aut omissionem legi poenali contrariam, cuius auctor, si quidem dolus aut culpa intercesserit, ad damni restitutionem, ubi fieri potest, et ad poenam obligetur.* In qua definitione indaganda non putamus fore, qui, quo modo distet ab actione omissione, a nobis quaerant. Si quis enim, quid agere sit, perspectum habet, facile is nouerit, quid contrarium, hoc est, non agere dicatur; et cum omnis actio intelligatur motione quadam ac mutatione agentis absolui, omissionem defectu siue absentia istarum motionum, quibus actio perficitur, constare, in aperto est. Sed latiore criminis descriptionem, aut plures eius definitiones, qui cognoscere cupit, is videat inter alios TABOR. in *Racemat. Crim.* MATTHAEI de *crimin. c. l.* HUBER. in *praelect. ad π. de priuat. delict.* Crimen autem a delicto apud Romanos hactenus differre, quod prius de publicis delictis, posterius de priuatis duntaxat dicitur,



tur, praeter alios, inprimis ENGAVIVS censet *Elem. Jur. Crim.* et MATTHAEI *l. c. c. 1. proleg.* ob *Leg. 17. et 18. D. de Aedit. Edict. Leg. 2. Cod. de vet. Jur. enucleand:* At vero, non semper hanc differentiam obseruatam fuisse, apparet ex *Lege 131. D. de Verb. Sign.* vbi vtrumque eodem significatu vsurpatum reperimus. Ad varias criminum diuisiones quod attinet, superuacuum foret, omnes hoc loco commemorare, inprimis eas, quae nihil momenti adferunt in excutiendo argumento, quod tractandum suscepimus. Recensionem quidem earum omnes fere, quotquot de iure criminali ex instituto commentati sunt, exhibent; sed plerasque nullius fere vsus esse, exemplis ostenderunt GRAVNIVS *Dissert. de superuacua delictorum diuisione in publica et priuata moribus nostris,* et BOEHMERUS *Elem. iurisprud. crim. Sect. I. C. II. §. XXXV.* Neque tamen silentio prorsus praeterire possum notissimam illam eandemque primariam criminum partitionem, qua vel vera vel quasi esse dicuntur, prout aut dolus in iis, aut culpa intercedit: horum enim alterutrum in crimine adesse debere, nemo ignorat. Enim vero quanquam non dolo solum sed etiam culpa crimen committitur, haec ipsa tamen quamuis lata, quicquid in contrariam partem nonnulli asserant, ob *Leg. 226. de Verb. Sign. Leg. 29. pr. de Mand. Leg. 32. Depos.* et praesertim ob male intellectam *Leg. 38. §. 5. de poen.* dolo nunquam aequalis aestimanda, sed in delictis imputandis dolum a culpa quam maxime distare, cum ipsa res et aequitas docent, tum leges ciuiles luculenter significant: quorsum inprimis spectant *L. 4. §. 1. L. 7. Dig. ad Leg. Corn. de Sicar. L. 1. §. 5. Cod. ad Leg. Corn. de Sicar. Art. 134. 136. 146. Const. Carol. Ius Saxon. prouinciale Lib. 2. Art. 38.* Nec dissentiunt in ea causa Doctores, ex quibus laudare



liceat LEYSERUM *Spec. ad π. 154. et HEISSLERUM Dissp. de iustis poenam mitigandi caussis in criminal. §. 19.* Certe a iure ciuili, quo utique dolum et culpam latam pari passu ambulare constat, ad ius criminale concludi haudquam potest: in hoc enim semper mitior praeualet interpretatio. Vt autem dici aliquid possit dolo malo aut culpa factum vel omissum, adeoque crimen perpetratum, necessario legem exstare oportet, qua factum prohibetur, vel praecipitur, eamque sanctione poenali munitam. Neque vero semper opus est lege ciuili, sed sufficit, si appareat, lege naturali quidquam interdici. Fieri enim vix potest, ut legislator omnia, quae omitti debeant, commissaque poenam mereantur, praeuidere, atque constituere, legibusque comprehendere possit. Quod ipsum respicit Imperator *Art. CV. Const. Crim.* his verbis: *Wann nicht alle zufällige Erkenntniß und Straf in dieser unserer Ordnung gnugsam mögen bedacht und beschrieben werden.* Quamobrem ubi statuta vel consuetudines loci, leges porro provinciales, ius denique Romanum et Canonicum silent de facto quodam, quod illicitum poenaeque dignum esse ipsa recta ratio agnoscit, id non aliunde nisi ex iure naturali diiudicandum esse omnes vident, testaturque BOEHMERVS *Elem. iurisprud. Crimin. Sect. I. Cap. I. §. III.* In dirimendis enim quaestionibus iuris criminalis, eundem, qui obtinet in ciuilibus, ordinem obseruandum esse, demonstrant KRES ad *praefat. Const. Car. Crim. n. 4. et Meisterus in elegantissima Dissert. de iuris Roman. crimin. in German. foris maxime hodiernis auctoritate §. XXXIV.* Ex his igitur apparet, factum prohibitum quidem, sed nulla poena notatum, non accenseri numero delictorum: id quod pluribus exemplis probauit IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS

RVS



RVS *Dissert. de Excessuum poenis, Halae Magdeburg. Ao. MDCCXXX. scripta, c. II. §. III.* Atque haec sunt, quae ad perpetrationem cuiuslibet criminis, adeoque, cum vel faciendo, quod lex prohibet, vel omitendo, quod praecipit, delinqui, supra definierimus, ad utramque speciem requiruntur. Nos vero, de omissionis tantum crimine solliciti, quatenus in hoc illa insint, operam in sequentibus dabimus, ut ostendamus, legibusque huc pertinentibus illustremus.

## §. II.

*Iure naturali an ex omissione obligatio nascatur?*

Et primo quidem loco videndum, an iure naturali, quo in statu libertatis et aequalitatis homines utuntur, ad aliquid faciendum ita perfecte, hoc est, cum coactione obligemur, ut, eo neglecto atque omisso, poenae locus fiat? In quo etsi negari non potest, si iuris naturalis appellationem sensu strictiori accipiamus, quo non nisi ea officia complectitur, quorum explendorum nomine cogi ab aliis possumus, siue, quod perinde est, quae ad iustitiam externam colendam pertinent, nos eo iure, eoque in statu, quocum nascimur, omissione alicuius facti, ius perfectum alteri haudquaquam adimere, neque adeo ab aliis aequalibus, puniri propterea posse, sed potius, utrum facere velimus aliquid nec ne, facultatis naturalis in nostroque arbitrio positum esse; cum nemo ad faciendum ab altero cogi, ac, si non fecerit, puniri possit: TREVER ad PVFFENDORF. *de officio hom. et civ. ad Cap. VI. §. II. 12. (2) ad Cap. XIII. (n. 1.)* quo loco contra PVFFENDORFIVM, et qui eum sequuntur, recte demonstrat, in statu naturali, inter pares, poenae locum non esse: MÜLLER *in iure nat. n. 3. ad §. 8. Cap. 19.* tamen aliud dicendum erit, si, quod multi



multi faciunt, et cum maxime olim fecerunt, iuris naturae significatum ampliare velimus, eique, praeter officia perfecta, internas obligationes, et minus plenas, vno verbo, quicquid honestum ac decorum censetur, subiicere. Rectae enim rationi quam maxime conuenit, lege naturali quaedam nobis facienda imponi, quibus omiſſis, si modo imputari nobis ista omiſſio possit, hoc est, si eius, ad quod faciendum obligati eramus, uoluntaria sit omiſſio, poenam contrahimus. Sane, quo consilio Deus hoc uniuersum condidit, nosque in eo nasci uoluit, id, nemo negabit, inesse in felicitate non singulorum modo, sed omnium. Docemur autem recta ratione, si felicitatem et nostram et aliorum promouere uelimus, omnia turpia et inhonesta fugienda esse, honestatem contra et uirtutem sedulo promouendam. Quis igitur putet, supremi rerum omnium auctoris fini se conuenienter agere, si, cum turpe nihil atque inhonestum committat, nullam tamen, data occasione, uirtutem exerceat? Vtrinque profecto, siue bene agere omittat, siue male faciat, fini diuino repugnare censendus est, et subsidia ei consequendo idonea negligere, utrinque animaduersionem et poenam promereri, non humanam illam quidem, sed diuinam, hoc est, eius legislatoris, cui totum genus humanum parere oportet. Ipsa porro rerum natura et experientia testatur, Deum, pro infinita sapientiae suae magnitudine, ita conditionem nostram ordinasse, ut sine mutuis auxiliis beati hac in uita esse nullo modo possimus, cum solus nemo sibi sufficiat ad uitam sustinendam, nedum ad feliciter degendam. CICERO *Offic. I. Cap. 7.* non nobis inquit, solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici. Atque (ut placet Stoicis) quae in terris gignantur ad usum hominum omnium creari; homines autem



autem hominum caussa esse generatos, ut ipsi inter se alius alii prodesse possint. In hoc naturam debemus ducem sequi et communes utilitates in medium asserre, mutatione officiorum, dando accipiendo. Huc pertinent etiam verba PHILONIS Iudaei: Abominandi sunt omnes, qui propriam tantum utilitatem captant, contemptis caeteris, tanquam sibi solis nati, non item innumeris aliis, patri, matri, uxori, liberis, humano generi. MARCVS ANTONINVS L. 3. §. 3. τὰ λογικὰ ζῶα ἀλλήλων ἕνεκα γέγονεν. Animantia ratione praedita, alterum alterius caussa, nata sunt. SENECA L. I. c. 7. de ira: homo in adiutorium mutuum generatus est. Vnde diuersa officia, quibus exercendis, felicitatis suae et aliorum autores fieri possint ac debeant, Deus inter homines quasi distribuit. Sic, ut exemplo vtamur, liberos alendi educandique necessitatem parentibus imposuit, siue potius ingenerauit: quod officium ita nobis a natura inditum sentimus, ut ne ratione quidem ad id intelligendum opus sit. Neque enim facile vllum ex brutis animantibus, quamuis ferox, deprehendas, quod suos relinquat, antequam ad vitam tuendam sibimet ipsi sufficiant. Quid vero de homine ratione praedito diceremus, si ne eam quidem diligentiam liberis exhiberet, cuius exemplum prae-euntibus brutis discere poterat? Nonne aduersus naturae leges diuinitus nobis infitas crimen perpetrasse iudicaretur? Nonne, maxima poena dignum habendum, omnes consentiremus? Sic suae cuiusque vitae conseruatio cuilibet animantium generi, apertum est, quantopere commendetur ab ipsa natura, vnde nemo non intelligit, autochiriam, quam et ipso iure naturali turpem vetitamque esse, CAR. GODOFR. WINCKLERVS Vir Illustris singulari libro de mortis voluntariae prohibet. ac poenis pag. VII. luculenter ostendit.

B

etiam



etiam omittendo perpetrari posse, veluti si quis alimenta necessaria sibi deneget. Quis vero non cum PLATONE *L. IV. de Legg.* puniendum largiatur, qui vim alteri iniuste illatam, cum posset, non arcuit? Quis dissentiat a CICERONE, cum *lib. de Offic. I. c. 7.* ita pronunciat: *Qui non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat?* Cum igitur nihil certius sit, quam Deum haec officia erga nos ipsos aeque atque erga alios a nobis praestari velle, ne finis quem sibi proposuit, intercidat, cumque haec eius voluntas nobis pro lege sit, quam diligenter obseruare debemus, profecto, ommissis, quae agenda nobis praecepit, ea nos poena manet, qua digni iudicantur, quicumque legibus, quibus subsunt, non obtemperant.

## §. III.

*De crimine omissionis in civili societate.*

Ad officia huiusmodi, quorum nomine, in statu libertatis naturalis, non aliud quam internum nos vinculum obstringit, in statu imperii non ex aequitate solum, verum etiam ex iustitiae praeceptis, compelli nos posse, iisque ommissis, poena ab eo, cui summum imperium competit, recte affici, quis est, qui dubitet? In societatem enim civilem simulatque coaluimus, et libertati naturali renunciauimus, pacto conuenimus, primum, nos omnia facturos, quae communem vtilitatem promoueant, et quoduis damnum ab ea cohibeant; deinde, ciuitati, aut ei, cui ab hac supremae potestatis ius collatum est, legibusque a maiestate latis, nos obtemperaturos esse, nostrasque actiones plane ad illius voluntatem composituros. Si quis igitur socius e ciuitate omiserit eorum quidquam, quae conducere ad vtilitatem reipublicae,



blicae, aut eius detrimentum auertere poterant, vel quae ciuitatis lege fieri iubentur, tum, manifestum est, et fini coniunctionis ciuilis, et pacto huius causa inito contraueniri, adeoque societati, cui ex summo imperio ius puniendi competit, ad damnum, si fieri possit, faciendum, praetereaque ad poenam sanctione statutam obligari omissionis istius auctorem. Tantum enim adest, ut salua respublica maneant, si, facere quid velit nec ne, contra conuentiones legumque auctoritatem, integrum cuique relinquatur, ut potius diu subsistere nullo modo possit. Neque etiam existimari debet, omissionem ex eorum numero esse, quae nihil externi contineant, proinde, ab hominibus puniri non posse, propterea quod naturae humanae repugnet, ex actibus mere internis ius obligationemue inter homines nasci, notissimumque sit illud legum Romanarum placitum, *L. 18. π. de poenis*, quod et iure pontificio receptum est, *c. 14. et 20. de poenit. Dist. I.* neminem cogitationis poenam subire. Nam merae quidem cogitationes effectum omnino nullum exerunt, neque cuiquam nocent, cum ab actu externo prorsus distent, ac ne cognosci quidem possint: quod longe secus est in omissionibus, quibus utique reipublicae detrimentum inferri posse, intelligitur, et quae cohaerent cum aliis negotiis externis, a quibus meriti sui conditionem seu qualitatem accipiunt, ut recte iudicat GROTIUS *L. II. c. XX. 18. de iure belli et pac.*

§. IV.

*Omissionis crimen utrum veris an quasi delictis  
accensatur?*

Iam, posteaquam in praecedentibus, omittendo aequae atque committendo perpetrari crimen posse, asseruimus, age, porro videamus, quibusnam criminibus, verisne an quasi, omissio



fit annumeranda. Dubitari autem forte possit, vtrum omissione verum delictum perpetretur, an potius, quicquid omitendo peccatur, in quasi delictis aestimandum sit? Etenim omissionem vulgo negligentiae, quae quidem, quoniam dolo caret, non verum sed quasi delictum efficit, accensent; quod hac ex ratione fieri puto, quia nihil frequentius occurrit ea omissione, quae per negligentiam fit, et quia plerumque omissione alicuius rei a nobis faciendae non directo, sed per obliquum, aliis iniuria inferitur. Ego vero nullus dubito, neque alios, rem proprius considerantes, a mea opinione alienos existimo fore, vt committendo. ita pariter omitendo, non culpa solum, sed etiam dolo delinqui, verumque crimen perpetrari posse. Cum enim hoc ex dolo iudicetur, dolo autem ex proposito et voluntate, quemadmodum CALLISTRATUS *L. 14. π. ad Leg. Corn. de Sicar. in maleficiis*, inquit, *voluntas spectatur*: nulla ratio patet, cur omisso, ex proposito et praemeditato consilio facta, veris delictis non debeat adnumerari. Neque vero ad perpetrandum verum crimen exigitur, vt quis directo alterum laedat, sed satis est, dolo malo causam existere, qua alteri noceatur. Hoc ipsum asserit *VLPIANUS L. 15. π. ad Leg. Corn. de Sicar.* vbi: *nihil interest*, inquit, *occidat quis, an causam mortis praebeat*. Ita et *IVLIANUS L. 51. ad Leg. Aquil. pr. occidisse dicitur vulgo quidem, qui mortis causam quolibet modo praebuit*. Atque ipsi etiam legislatores, omissione verum delictum posse perpetrari, eo tacite declarant, quod quibusdam delictis, quae illuc pertinent, poenam capitalem proposuere, quae secundum regulam iuris, in iis, quae per culpam male facta sunt, locum non habet, *arg. L. 4. §. 1. π. ad leg. Corn. de Sicar. L. 1. 5. Cod. eod.*

*BOEHMER, Obseru. II. ad Quaest. I. P. I. CARFZ, Rer. Crim.*

§. V.



*Transitus ad potissimas species criminis omissionis.**De omissa prohibitione criminis alieni.*

Sed, quae ab initio de obligatione ad faciendum, atque exinde oriente crimine omissionis, secundum sanæ rationis legem, ciuitatumque constitutionem, in vniuersum differuimus, nunc singularibus quibusdam caussis et quaestionibus, in foro non infrequenter obuiis, ex legum ciuiliū sanctione vsuque hodierno illustrabimus. Primum quidem locum occupare videtur criminis alieni prohibitio. Nam qui alterius delictum, quod auertere potest, non prohibet atque impedit, eum ipsum criminis reum fieri, et ex delicto alterius obligari, ipsa aequitate naturali, vti supra vidimus, edocemur. Hoc dictatum rectæ rationis et a iure romano adoptatum esse, videmus, quicquid a multis contra statuitur, sententiam suam fulcientibus *Lege 9. §. 1. Digest. quod met.* qua quidem lege de eo sermo est, qui alteri pro certa mercede auxilium et defensionem cum periculo vitæ coniunctam contra latrones aut similis generis homines praestitit. Atqui vero vnusquisque intelligit, quam longe inter se differant haec duo, crimen prohibere posse, et alterum cum vitæ periculo contra hostes aut latrones defendere. Vbi enim meae ipsius vitæ periculum imminet, obligari ad iniuriam ab altero propulsandam nequeo, ne iure naturæ quidem, vt vere iudicat BRUNNEMANN. *ad dict. Leg.* Neque in hac specie is, qui alterum defendendum suscipit, dici potest, crimen prohibere, cum semper incertum sit, prohibeatne, an potius succumbat. De prohibitione vero criminis leges apertis verbis pronunciant. *Culpa carere, qui scit, sed prohibere non potest,* dicitur in *Lege 50. Digest. de reg. iur. cui et Lex 109. eod.*



respondet. Igitur, qui prohibere potest, nec prohibet, an non in culpa erit? Praeterea *Lex 9. Dig. de lege Corn. de fals.* haec habet: *Lege Cornelia cauetur, qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, falsi crimine teneri. Eadem poena afficitur etiam is, qui, cum prohibere tale quid posset, non prohibuit.* Generalia, patet, verba esse harum legum loquentium de prohibitione, non commemoratis iis, qui ad prohibendum obligatione quadam deuinciantur: nam, quicumque potest, debet prohibere. Maior quidem erit obligatio ad impediendum, vbi vinculum speciale intercedit, quale stringit seruos et liberos, qui dominis et parentibus in angustias redactis, subuenire tenentur per *L. 1. §. 18. de Sño. Siliano et Claud.* Eodem modo domini, quibus scientibus serui delinquant, ad prohibendum crimen obligantur ex *Lege Aquilia* et nominatim quidem *Lege 44. §. 1. D. ad hanc legem.* Scientiam quidem hoc loco pro patientia accipi, hoc modo, vt, qui prohibere potuerit, teneatur, si minus fecerit, id vero apparet ex lege proxime sequenti *45. eod.* Per eandem rationem magistratus, et qui a magistratibus, securitatis publicae conseruandae criminumque prohibendorum causa, publice constituti sunt, grauiori poena digni censentur iis, quos non nisi naturalis et communis obligatio adigit. Facile autem vnusquisque intelliget, in hoc omislae prohibitionis crimine locum esse poenae arbitrariae, quae diiudicari debet ex eo delicto, quod quis, cum prohibere potuisset, dolo culpaue prohibere omisit, nisi lege aliqua, vti supra laud. *9. Corn. de fals.* certa quaedam poena definiatur. Caeterum, quae haecenus a me proposita sunt, etiam iuris Canonici assensum habent, veluti *c. VII. et VIII. Q. III. c. XXIII.* suntque nostris temporibus vbique vlu forensi recepta. Ita

LEYSE-



LEYSERVS *Spec. CXIII. Medit. ad π.* exemplum refert, quo contra matrem familias, filium, filiam atque negotiationis famulum, ex iniuria tironis, contra Palmum quendam commissa, inquisitio instituta fuit, hac ex ratione, quod factum non prohibuerant, et propterea idem cum iniuriæ auctore erimen perpetrasse, putandi erant. Aliud responsum exhibet idem LEYSERVS *Specim. DXXXIV. n. X.* quo maritus, qui furta vxoris non impedierat, cum potuisset, eandem, quam ipsa vxor, poenam tulit. Huic addere volupe erit EISENHARTVM *in den Erzählungen besonderer Rechtshändel Tom. I. n. 4.* ac denique MEISTERVM *in den rechtlichen Erkenntnissen und Gutachten in peinlichen Fällen Tom. I. Dec. 30.* cuius asserto affirmatur, hodie, omnium fere locorum vsu, eum, qui non impediatur, quod possit, crimen, eius se participem reddere, atque in grauioribus delictis ad inquisitionem trahendum esse. Negari tamen non potest, hanc obligationem ad prohibendum in leuissimis quidem criminibus, qualia sunt iniuriæ verbales, aliaque huius generis, videri cessare: primum hanc ob causam, quod ex his delictis, etsi reus ad poenam obligatur, respublica tamen non adeo magnum detrimentum capit, deinde, quod, si quis minimis quibusque criminibus se immiscere voluerit, metuendum erit, ne maiores rixæ nascantur, adeoque maius illa omissione crimen oriatur; postremo autem, quod illa plerumque sunt eiusmodi, quae impediri amplius non possint, cum leuiora ista crimina non praemeditato consilio, sed ex subita animi commotione, committi soleant.

§. VI.

*De intermissa criminis alieni denunciatione.*

Aliud omissionis crimen reperimus in omiſſa denunciatione delicti, vel adhuc committendi, vel iam commiſſi,  
cuius



cuius scientia ad nos peruenit. Et Romani quidem, etsi eos poena afficere non solebant, qui crimen perpetratum non reuelauerant, *Tit. Cod. tot. vt nem. inuit. accusar. L. 48. §. 1. de Furt.* tamen nonnullis in criminibus reuelationem exigebant, atque in eos, qui reticuerant, poenam statuebant. Hodie id de omnibus grauioribus delictis obtinet, ac plerumque leges de singulis criminibus peculiariter edicunt. Romanos autem in omisam reuelationem atrociorum quorundam criminum animaduertisse, documento erit *L. 2. Dig. ad Leg. Pompei. de parric.* qua frater parricidae, qui cognouerat, nec patri indicauerat, relegari iubetur. Idem porro patet ex legibus, paragrapho praecedente laudatis, quibus criminis prohibitio iniungitur. Quodsi enim crimen atrox aliter prohiberi non poterat, nisi accusatione iudiciali, hanc omnino fieri debere, leges etiam Romanae voluerunt. Solent praeterea in hoc argumento prouocare ad *leg. 5. Cod. ad Leg. Jul. Mai. et leg. vnic. Cod. de rapt. virg.* Sed cum incertum sit, an vocabulo *confsciorum* illo loco intelligendi sint, qui criminis instantis habuerunt notitiam, caeterum nec opem nec consilium ad scelus contulerunt, MATTHAEI *de crimin. cap. III. ad Tit. II. L. 48. n. 23.* his legibus probare nostram sententiam nolimus, cum iam iis, quas memorauimus, legibus id ipsum efficiatur. Quomodo vero res sese habeat hodiernis moribus, age nunc sigillatim videamus. Crimina quidem adhuc perpetranda, si sunt eiusmodi, quibus respublica, vel singuli eius ciues damnium incurrunt, vnusquisque reuelare debet. Interest enim Reipublicae, crimina manifestari: WILDVOGEL *Resp. 274. n. 45.* BRUNNEMANN. *de Process. inquis. IV. n. XXVII.* CARPZ *Pr. Crim. P. III. qu. 134. n. 63.* KRESS. *ad Art. 177. Const. Car. §. 2. n. 2.* et omne damnium, quod auertere possu-



possumus, nostri officii est, auertere; atqui celando crimine, quod imminet, illud omnino promouetur, eoque modo ista occultatio moraliter, vti loquuntur, in crimen insiuit: BOEMER. *ad Const. Car. Art. 177. §. VII.* Hanc igitur omissionem arbitraria sequetur poena, vbi non est in singulis criminibus certa constituta: vid. *Meisteri rechtliche Erkenntnisse und Gutachten in peincl. Fällen Dec. 68. n. 28. 29. sequ.* Nonnullis enim in criminibus legislatores poenam omissae reuelationis diserte fanciuerunt. Sic scientia criminis perduellionis imputatur iis, qui non manifestant: *Aurea bulla c. 24. §. 10.* atque eadem in illos, quae in ipsos laesae maiestatis reos, poena statuitur. Iure autem Saxoniae nostrae Electoralis poenam in eos, qui crimen perpetrandum reticent, varie pro criminis varietate statutas passim reperimus. Ita *Mandato de Duellis de Ao. 1712 §. 50.* non solum iis, qui factas ad pugnam prouocationes non indicarunt, carceris sex mensium, sed etiam ipsi prouocato, qui non denunciauit, quamuis prouocationi haud paruerit, quatuor mensium carceris poena statuitur. Aliud exemplum exstat in *Mand. contra Bancoruptor. de Ao. 1766.* vbi haec constituta sunt §. 14. *So befehlen wir auch erstlich, das jeder mann, deme von der vorhabenden Flucht eines Banquerotiers gegründete Wissenschaft beywohnet, solches gehörigen Orts anzeige, immassen derjenige, so dem zuwider handelt, und nach angestellter Untersuchung, das er, der gehaltenen Wissenschaft ohngeachtet, sothane Anzeige unterlassen, überführet wird, deshalb nach Befinden, mit Geld- oder Gefängnißstrafe zu belegen.* Et haec quidem de criminibus adhuc perpetrandis. Ad denuncianda vero ea, quae iam perpetrata sunt, secundum regulam nemo cogi potest. Ratio enim, quae in criminum adhuc perpetratorum

C

reuela-



reuelatione cognoscitur, hinc exulat, neque vlla coniunctio cum crimine alterius deprehenditur. Quae opinio etiam obtinet in foro, teste BERGERO in *Oeconom. iur. ibique Illustri WINCKLERO ad L. III. T. X. th. VI. n. 2.* affirmante, saepissime hoc modo iudicatum fuisse a Collegio Jurid. Lips. Denunciandorum autem criminum, quae iam admitta sunt, necessitas ibi cernitur, vbi delatio a legibus sub poena iniungitur, vti factum est: 1) intuitu eorum qui verba blasphema audiuerunt, intraque octiduum non denunciarunt: *Rec. Imp. de Ao. 1548. Tit. I. §. 2.* quod etiam confirmatum legitur *Ordin. Pol. Saxon. de Ao. 1612. n. 2. in Cod. Aug. T. I. pag. 1454. et de Ao. 1661. T. III. §. I. in Cod. Aug. T. I. p. 1566.* 2) in iniuriis realibus atrocibus: vid. *Duell-Mandat de Ao. 1712. §. 16.* quo iniuriam passus factum inferentis denunciare tenetur, sub poena duorum vel trium mensium carceris. 3) ex eodem *Mandato §. 49.* in pugnis singularibus siue Duellis, quae qui animaduertunt, neque denunciant iudici proximo, poenam carceris trium mensium incurrunt. 4) in incendiū flagitio atque etiam sola incuria, qua incendium exoriri possit. Quorsum pertinent duo Mandata: vnum contra incendiarios, quod haec verba habet: *Diejenigen, welche von dergleichen Feueranlegen Nachricht bekommen, und solches nicht sofort behörig anzeigen, noch zu Erlangung solcher ruchlosen Leute behülfflich sind, ob sie schon an der That selbst keinen Antheil genommen, noch darbey impliciret gewesen, mit harten, und nach Befinden empfindlichen Leibes-Vestungs- oder Zuchthausstrafe angesehen werden: alterum d. 18. Febr. 1775. die auf denen Dörfern zu beobachtende Feuerordnung betreffend, cuius Cap. I. §. 49. ita praecipitur: Jeder Einwohner, sobald er gewahr wird, daß*



dafs jemand in der Gemeinde mit Feuer und Licht, oder feuerfangenden Sachen unvorsichtig umgeheth, soll solches der Obrigkeit ohngesäumt anzeigen, und Falls er solches zu thun unterlässt, mit Strafe eines alten Schocks angesehen werden. 5) in crimine, quo ciuis reipublicae ad emigrandum incitatur, ex Mandato de Ao. 1764. §. 17. cuius auctoritate is, qui notitiam illius seductionis habuit, nec magistratui loci detulit, sex mensium carcere punitur. Huc etiam pertinent 6) quae de transfugis militaribus constituta sunt Mandat. de Ao. 1709. 1727. 1737. et praecipue in der Ordonanz de Ao. 1752. §. 19. his verbis: *Es soll sich niemand, wer es auch sey, bey Vermeidung Ein hundred Thaler Geld-, oder im Fall er solches zu erlegen nicht vermöchte, unnachbleibender Vestungsbaustrafe unterstehen, die Deserteurs zu verheelen, sondern ein jeder Deserteur soll angezeigt werden.* Denique 7) memoratu digna videtur ea causa, qua crimen proprium reuelari oportet: quod obtinet in femina, quae. grauida facta, partum sub poena arbitraria occultare prohibetur: *Art. C. Car. 131. CARPZ. Quaest. XV. n. 51. et ibi BOEHMERVS Observat. V. MEISTER lib. cit. T. II. Dec. LVIII. his adde Mandat. d. d. 14. Octobr. 1744. wider die Abtreib-Umbring- und Wegsetzung derer Leibesfrüchte, und zur Welt gebornen Kinder, §. 2. n. 2. ad cuius argumentum Scabini Lipsienses in causa Inquisitionis contra quandam Z. quae anxie atque pertinaciter grauiditatem occultauerat, quamuis partus viuus ab illa editus fuisset, Ao. 1765. ad interrogationem praefecti Leucopetrensis responderunt: *Dafs Z. vier Wochen lang mit Gefängniss oder um Vier Neue Schocke zu bestrafen, oder für jeden Tag Gefängniss drey Tage zu einer gewissen Arbeit anzuhalten.**



Commemorandum adhuc videtur, eos, qui vel propter officium, vel a iudice interrogati, ad crimina manifestanda obstringuntur, maiore aliis obligatione teneri, vt denuncient delicta, siue perpetrata, siue adhuc perpetranda, adeoque grauiori etiam poena, si omiserint, esse afficiendos. Saxoniae quidem moribus Scultetorum quos vocant, agrestium, Scabinorumque hoc inprimis officium est, vt denunciando manifestent, quaecumque a rusticis contra leges et bonos mores fiunt: id quod iam iure Saxonico prouinciali *Lib. I. Art. 2.* constitutum legimus. Quibusdam vero locis certi ad hoc constituti sunt delatores, qui *Rüngenmeister* vocantur. Caeterum vbi iudicia, quae dicuntur, denunciatoria vsu feruntur, praeter hos, quos modo memorauimus, omnes eidem iudicio subiecti, sub fide iurisiurandi, qua domino adstringuntur, indicare debent eos, qui contra leges aliquid commiserunt; quemadmodum ex *Ordinat. pagor. iurisdikt. Academ. Lipsf. subiect. Art. 27.* refert GUSTAV. HENR. MYLIVS *Dissertat. de iudiciis denunciatoriis Saxoniciis Rügegerichte dictis, §. XVIII. sequ.* Atque in nonnullis talibus iudiciis, si quis commissum ab alio crimen non reuelauit, eandem multam subit, quae reum manet: *COLER. de Processu Execut. P. I. Cap. 3. n. 121.* Postremo magistratus, in crimina, quorum qualiscumque notitia ad eos peruenit, inquirere sceleratosque castigare superfedentes, poena interdum pecuniaria, in grauioribus autem delictis priuatione iurisdictionis, secundum leges puniuntur. Qua de re ipso iam iure Saxonico prouinciali *Lib. II. Art. 13.* fancitum legitur: *Welcher Richter ein Verbrechen nicht strafet, der ist desselben Gerichts schuldig, das über den Verbrecher ergehen sollte.* In Saxoniam quidem Elect. extant *Mandata de Ao. 1710. 1738. 1748. 1753.* quae solli-



sollicitudinem inquirendi in fures sub poena confiscationis inculcant. Eadem poena magistratui segni atque indulgenti §. 55 et 56. *Mandati de Duellis et iniuriis* dicta est; atque in *ordinat. polit. de Ao. 1767. Tom. III. §. 4.* contra diuini numinis conuiciatores haec leguntur: *Würde aber ein oder der andere, der Gerichte hat, umb Geschenke, Gabe, Gunst, oder anderer Ursachen wegen, diejenigen, so ihm als Lästere angegeben, oder befunden, wie obberührt, nicht strafen, sondern durch die Finger sehen, und die Gotteslästerungen wissentlich unterdrücken und verbergen; So wollen wir den oder dieselben andern zum Abscheu, ernstlich bestrafen, und nach Gelegenheit der Gotteslästerung und Partheylichkeit, gar die Gerichte einziehen lassen.* Vid. etiam GYSTAVI HENR. MYLII *Dissert. de priuatione iurisdic. ob eius abusum §. XII. et CARPZ. Quaest. 103. n. 54.*

§. VII.

*Ad crimina omissionis pertinet denegatio auxilii, vbi vitae aliudue graue periculum aliis imminet.*

Non minus omittendo peccatur tum, cum quis iis, qui casu aliquo in discrimen mortis coniciuntur, quibusue aliud graue periculum imminet, auxilium denegat. Vbi eadem ratio obtinet, quae in delicto non prohibiti criminis: salus nimirum reipublicae singulorumque ciuium, quam pro viribus vt promoueamus, et sana ratio poscit, et leges praecipunt. Quod ex harum disertis verbis patet, neque desunt exempla huius generis in iure Saxoniae nostrae Electoralis. Etenim *Mandato de Ao. 1773. 26. Sept. die Rettung derer im Wasser oder sonst verunglückten und für todt*



gehaltenen Personen betreffend, haec continentur, argumentum nostrum spectantia: Dafs ein jeder, wes Standes er auch sey, welcher eine im Wasser ertrunkene, erfrohrne, durch schädliche Dünste erstickte, erdroffelte, oder erhenkte Person gewahr wird, solche ohne den mindesten Verzug, und ohne dafs es in diesen Fällen einer gerichtlichen Aufhebung bedürfe, entweder selbst, oder mit Hülfe anderer schleunigst herbey zu rufender Menschen, aus dem Wasser zu ziehen, aufzuheben, oder abzuschneiden, sodann aber in das nächste Haus zu schaffen, und den Vorfall sogleich der nächsten Obrigkeit anzuzeigen, gehalten seyn solle. Et sanctio quidem poenalis reperitur §. IV. vbi, praemio primum proposito iis, qui hos miseros adminiculo iuuant, eorumque vitam seruant, adduntur haec: Also sind hingegen diejenigen, welche der im ersten §<sup>h</sup> dieses Mandates enthaltenen Disposition zuwider handeln, sich in der ihnen anbefohlenen Hilfsleistung säumig finden lassen, oder etwas vernachlässigen, mit nachdrücklicher, auch nach Befinden mit Leibestrafe zu belegen. Eodem tendit Mandat d. d. 18. Febr. 1775. die auf denen Dörfern zu beobachtende Feuerordnung betreffend, et potissimum eius Cap. III. cuius §. I. sequentia continet: Derjenige, bey welchem das Feuer entstehet, oder der es zuerst gewahr wird, soll alsobald durch Feuersehreyen, auch sonstiges Lärmenmachen, die Leute allarmiren. Und wie diejenigen, welche solches zu thun unterlassen, oder das bey ihnen entstandene Feuer auch nur wenige Minuten verheimlichen, unnachbleibliche Geld - Gefängnis - und nach Befinden Zuchthausstrafe zu gewarten haben: Also etc. §. II. vicini sex proxi-



proximi a parte dextra et totidem a sinistra prae aliis opitulari iubentur. Non possumus hoc loco aliud exemplum praeterire, quod habetur *Constitut. Saxon. V. Part. IV.* emanata contra eos, qui tempore pestis decumbentes interficiunt aut furto spoliant, aut qui alimentis necessariis seruari eos non curant, his potissimum verbis: *Diejenigen aber, welche verordnet, die Kranken zu speisen, und dieselben nicht warten, sondern sie verschmachten und Hungers sterben lassen, sollen willkührlich mit Gefängnis oder Verweisung, nach Gelegenheit der Verbrechen gestraft werden.*

## §. VIII.

*Plura criminum omissionis genera existunt. Epilogus.*

Sed quis omnia omnino genera, quibus omitendo crimen perpetratur, percensere suscipiat? Neque enim hoc fieri facile potest, neque si possit, cum instituto nostro conuenire videtur. Tot quidem crimina omissionis existere intelliguntur, quot exstant leges, quae aliquid fieri, hac conditione praecipiunt, vt contra omissionem sanctione poenali sint munitae. Sic omnis negligentia, praecipue in munere suscepto prodita, officii omissionem infert, quae saepius poena criminali afficitur. Exemplo erunt caussarum patroni ex *Rescripto d. 27. Mart. Ao. 1732. p. 292. T. I. der Fortsetz. des Cod. Aug. medici, ex Art. Const. Carol. 134.* et parentes, ratione neglectae educationis liberorum, de quibus vide praecidium, vt loquuntur, apud BERGERVM in *Eleclis Iurispr. crimin. observ. III. ad pag. 3.* Eodem modo, qui pro mercibus inuectis principi vectigalia perfol-

vere



vere intermiserunt, criminaliter, et interdum quidem publicatione mercium, puniuntur. LEYSERVS denique *Diss. de iniuriis quae non faciendo fiunt, Wittebergae 1734. habita*, et inserta eius *Meditat. ad π. Spec. DXLIX.* ipsam iniuriam omissione aliis inferri posse ostendit. Nos vero, quibus nihil aliud propositum erat, nisi vt exemplis et quaestionibus praecipuis huc pertinentibus probaremus, legibus saepenumero omisa aequae atque commissa puniri, id ipsum iam satis superque tradidisse videmur, putamusque ultra fines libelli academici nos euagaturos esse, si pluribus institutum persequi velimus: quin potius Lectorum iudicio speciminis huius tenuitatem submittimus, eosdemque, si qua suo assensu haud satis digna inuenerint, veniam eorum, vti modestia postulat, humanissime rogamus.













Leipzig, Diss., 1776 A-G



f  
TA-70L

aus 34 Stk. bisher verkauft

VD  
18







7776, 35.  
148

DE

# CRIMINE OMISSIONIS



I L L V S T R I S

I V R I S C O N S V L T O R V M O R D I N I S A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

I O H A N N E G O D O F R E D O

F V N C K L E R O

I V R . V T R . D O C T . S V P R E M A E C V R I A E P R O V I N C I A L I S  
E T C O N S I S T O R I I A D V O C A T O

D . X I I I . I V N . C I D I O C C L X X V I

D I S P V T A B I T

C A R O L V S G V I L I E L M V S W I N C K L E R

L I P S



L I P S I A E

E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A

